

non tamen ad mysticam illam significationem Sacramentum Ordinis elevavit: unde significatio illa non est essentialis, sed mere accidentalis; ideoque licet Ecclesia dispensare non possit, ut maritus habeat plures uxores, vel ut matrimonium dissolvatur, bene tamen ut bigamus Sacramentum Ordinis suscipiat; quamvis ob divinationem suae carnis in plures, non sit aptus ad significandum & representandum unionem Christi cum Ecclesia, quae unica est: ille enim defectus significationis non reddit illum jure divino, sed tantum humano, ab Ecclesia inducto, incapacem Sacramenti Ordinis.

88 Ad tertium dico, quod licet per Baptismum tollantur omnes irregularitates quae proveniunt ex delicto (immo ille propriis non tollantur, quis non contrahunt ab infidelibus, seu non baptizato, qui Ecclesiae legibus non subijcitur) irregularitates tamen provenientes ex vitio corporis, vel ex defectu significationis, qualis est bigamia, non tollantur per Baptismum. Quamvis olim acris fuerit de hoc inter Hieronymum & Augustinum controversia, affirmante illo Epist. 83. ad Oceanum, negante illo in libro de bono conjugali, cui consentit Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ultimo, & D. Thomas hic quaest. 66. art. 4. ubi sic ait: *Baptismus solvit culpam, & non solvit conjugium, unde cum ex ipso conjugio sequatur irregularitas, per Baptismum tolli non potest, ut Augustinus dicit in libro de bono conjugali.*

DISPUTATIO IV.

De Episcopatu.

DE Episcopatu specialem disputationem institimus, qua circa illum varie occurrunt difficultates & controversiae, articulis sequentibus discutendae & resolvendae.

ARTICULUS I.

An Episcopus jure divino sit Presbyter dignitate & potestate superior?

1 Negavit olim Presbyter quidam nomine Aerus, apud Augustinum haeresi 53. & Epiphanius haeresi 75. ubi haec illius verba refert: "Quid est Episcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo, Unus est enim Ordo & unus honor & una dignitas. Imponit manus Episcopus, ita etiam Presbyter. Dispensationem cultus divini facit Episcopus, Presbyter similiter. Sedet Episcopus in throno, sedet etiam Presbyter." Idem (teste Waldensi tomo 1. de Sacramento, lib. 2. cap. 62.) docuit Wicleffus, dicens omnes Sacerdotes esse Episcopos, ac posse Sacramentum Ordinis ministrare, & plenam jurisdictionem habere in sua Parochia. Uterque autem ad hoc asserendum inductus fuisse narratur, partim odio & indignatione; partim etiam invidia concepta ex repulsa quam in ambiendo Episcopatu passi erant. Aerus enim contendens de Episcopatu cum Eustathio, fuerat illi postpositus. Wicleffus autem ab Episcopatu Vigorniensis, quem ambabat, fuerat repulsum.

2 Eundem errorem amplexus est Calvinus lib. 4. instit. cap. 4. num. 2. ubi similiter negat Episcopatum esse gradum Presbyteratu superiorem a Christo institutum, his verbis: "Quibus ergo docendi manus injunctum erat, ut eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex aequalitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in Collegas haberet; sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, sententias roget, consulendo, monendo, hortando, aliis praerit; auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit, exequatur; id munus sustinebat Episcopus in Presbyterorum coetu. Atque id ipsum pro temporum necessitate, fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi Veteres." Haec Calvinus, consequenter num. 3. docens, idem semper fuisse munus Episcopi & Presbyteri, nempe *Verbi & Sacramentorum dispensationi incumbere.* Ut hic error refellatur, & veritas catholica stabilatur, sit

S. I.

Consilio asserimus statuitur.

3 Dico igitur, Episcopus jure divino dignitate & potestate esse Presbyteris superiores. Haec veritas definitur in Concilio Constantiensi, in Bulla Martini V. ubi omnes errores Joannis Wicleff dampnantur. Et in Tridentino sess. 23. c. 4. ubi dicitur: "San-

cta Synodus declarat, praeter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apollolorum locum succedunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem praecipue pertinere, & postea, sicut item Apollolus ait, a Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, & ministros Episcopale ordinare, atque alia plerumque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent." Et can. 7. sic definitur: "Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema sit."

Eandem superioritatem Episcopi ad Presbyterum, quantum ad dignitatem & potestatem, passim agnoscunt SS. Patres: Dionysius enim cap. 5. Ecclesiastica Hierarchie sic ait: *Pontificum Ordo primus, qui purgat, illuminat, & perficit: sub illo autem Ordo Sacerdotum purgat, & illuminat, non vero perficit; Ministrorum vero tantum purgat.* Quibus verbis majorem in Episcopis potestatem, & ad plura pertinentem, agnoscit, quam in Sacerdotibus, & aliis Ecclesiae Ministris, quos etiam illis inferiores esse affirmat. Ignatius Martyr in Epist. ad Tarcentenses, Presbyteri, inquit, *Episcopo subditi esse, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris, & Diaconis.* Et in Epistola ad Philadelphios: *Boni sunt Sacerdotes sermonis Ministri, melior autem est Pontifex, cui tradita sunt sancta sanctorum, & cui soli sunt commissa secreta Dei.* Clemens Romanus in Canonibus Apollolorum can. 40. Presbyteri & Diaconi praeter Episcopum nihil agere possunt: *nam Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Demum Tertullianus lib. de Baptismo cap. 17. *Jus habet, inquit, auctori Baptismum Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.*

Eandem veritatem probat S. Thomas hic q. 30. art. 4. multipliciter. In primis enim in argumento *sed contra*, sic dicitur: *Divina mysteria debent esse magis ordinata, quam humana: Sed humanorum officiorum ordo existit, ut in quolibet officio preponatur unus, qui sit princeps illius officii, sicut praepositur militibus Dux, & interioribus artificibus Architectus, qui princeps operis dicitur: Ergo similiter Ecclesiasticae Hierarchie ordo existit, ut Sacerdotibus praeponatur aliquis, qui sit Sacerdotum Princeps, & hic est Episcopus.* Unde Dionysius loco citato de Ecclesiastica Hierarchie, in ea ait primum esse Pontificem, a quo omnis sacra potestas ad inferiores derivatur.

Denique in corpore articuli sic arguit: *Omnis potestas quae non potest exire in actum, nisi praesuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quae illas ordinationes facit: Atque Sacerdos non potest absolvere & ligare, nisi praesupposito Praeuli jurisdictione, qua sibi subdantur illi quos absolvit.* Ergo potestas Sacerdotalis ab Episcopali pendet, & illi inferior est.

Postea in resp. ad 1. eandem veritatem demonstrat ex eo quod novum Sacerdotium ita antiquo respondere debet, ut quod Aaron & filii ejus, & Levitae fuerunt in veteri lege, hoc in Ecclesia sint Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, seu reliqui Ecclesiae Ministri: ita ut Episcopi respondeant Aaroni; Presbyteri filiis Aaroni, qui minores erant Sacerdotes, patri subiecti; Diaconi, & alii Ministri, Levitis, id est, aliis qui de Tribu Levitica oriundi erant, quamvis non essent ex filiis Aaroni: At in lege veteri longe major erat potestas & jurisdictione Aaroni, quam reliquorum Sacerdotum inferiorum: ille enim poterat semel in anno ingredi Sancta sanctorum, quod aliis minoribus Sacerdotibus non licebat: Ergo similiter in lege nova Episcopus dignitate, auctoritate, & potestate ceteris praecellit Presbyteris: eique soli ut Ministro ordinario competit conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis, & alios Presbyteros ordinare; ratione cujus potestatis Episcopi a SS. Patribus dicuntur *Patrum progenitores*, quia progenierant Presbyteros, qui patris officium erga fideles exequent, eos filios Dei per gratiam gignendo.

Demum S. Doctor in resp. ad 3. sic dicitur: "Sicut 8. omnium rerum naturalium perfectiones praerantur exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar omnium officiorum Ecclesiasticorum; unde unquamque Minister Ecclesiae, quantum ad aliquid, gerit typum Christi; & tamen ille est superior, qui secundum majorem perfectionem Christum representat: Sacerdos autem representat Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit, sed Episcopus in hoc quod alios ministros instituit, & Ecclesiam fundavit; unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divinis officiis, quae sunt cultum divinum, ad similitudinem Christi, statuentis; propter hoc etiam Episcopus specialiter sponsus Ecclesiae dicitur, sicut & Christus.

Hic addo quae scribit idem S. Doctor 2.2. quaest. 184. 9. artic. 7. ad 2. quia veritatem Catholicam de superioritate Episcopi

Episcopi supra Presbyteros miram in modum illustant: Episcopi (inquit) principaliter habent curam totius sui districti: Presbyteri autem Curati & Archidiaconi habent aliquas subdivisiones sub Episcopis: unde super illud 1. ad Corinth. 12. *Alii operationes, alii gubernationes, dicit glossa, operationes, id est, qui majoribus servit operi, ut Titus Apollolus: vel Archidiaconi Episcopos Gubernationes, scilicet minorum personarum praedicationes, ut Presbyteri sunt, qui sibi documenta sunt, Et Dionysius dicit cap. 5. Eccles. Hierarchie, quod sicut universalem Hierarchiam videmus in Christo terminatam, ita unquamque functionem proprio districti Hierarcha, id est Episcopo. Et dist. 16. qu. 1. c. Cunctis: Omnibus Presbyteris & Diaconibus agendum est, ut nihil absque proprii Episcopi licentia agant. Ex quo patet quod ita se habent ad Episcopum, sicut Balivi, vel Praepositi ad Regem, & propter hoc sicut in mundanis praefatis solus Rex benedictionem spem accipit; alii vero per simplicem commissionem instituntur: ita etiam in Ecclesia cura Episcopali cum solemnitate consecrationis committitur; cura autem Archidiaconatus, & Plebanatus cum simplici injunctio, nec consecratur tamen in susceptione Ordinis, scilicet aequam curam habeant.*

S. II.

Solentur objectiones haereticorum.

10 Obijciunt primo Haeretici, Juxta Apollolum idem sunt Episcopi & Presbyteri: Ergo Episcopus dignitate & potestate non est superior Presbyteris. Consequenter patet. Antecedens probatur ex illo Pauli ad Philipp. 1. Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus. Quo loco Presbyteri dicuntur Episcopi. non enim in una urbe multi fuissent Episcopi, si Episcopi nomen, summum aliquem Sacerdotum significaret. Item 1. ad Timoth. 4. dicitur: *Noli negligere gratiam Dei quae est in te, quae data est tibi per impositionem manuum Presbyterii, ubi Episcopatum ad quem assumptus fuit Timotheus, Apollolus vocat Presbyterium.* Et ad 2. idem Paulus vocavit ad se majores natu Episcopos, id est Presbyteros, & tamen dum eos alloquitur, Episcopos appellat, dicens: *Attende tibi & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.*

11 Respondeo negando Antecedens, & ad illius probationem dico: Apollolorum tempore nomina illa Episcopus & Presbyter, communia fuisse omnibus Sacerdotibus tam majoribus, quos nunc Episcopos dicimus; quam minoribus; quos Presbyteros appellamus; licet res ipse & potestates ac officia distincta essent; unde non mirum quod Apollolus locis citatis, Presbyteros, Episcopos, & Episcopatum ad quem fuit assumptus Timotheus, Presbyterium appellaverit; quamquam juxta multos Patres, Presbyterium ibi sumatur pro coetu seniorum seu Episcoporum, qui novo Episcopato manus imponunt. Haec solutio & interpretatio desumitur ex Chrysolomo homil. 1. in Epist. ad Philippenses; ubi exponens illa verba, cum Episcopi & Diaconi, haec habet: *Quid hoc sibi vult? Ita ut unus civitatis plures erant Episcopi? Nequaquam; sed hoc titulo designant Presbyteros, tunc enim temporis adhibere vocabulum erat commune.*

12 Obijciunt secundo difficultem locum Hieronymi, quo significare videtur, Episcopos non esse jure divino Sacerdotibus superiores, sed tantum ex consuetudine & consuetudine Ecclesiae: nam in cap. 1. Epistola ad Titum, circa illa verba, *Et constituit per civitates Presbyteri*, sic ait: *Item est Presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli insidiam studium in religione serent, & adverterent in populo, Ego sum Pauli, Ego Apollolus, Ego vero Cepha, communis Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur. Postquam vero natus fuisset, quos quis baptizaverat, suos esse presbyteri, non Christi: in totis urbes decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponatur ceteris, ad quem omnis Ecclesia cura pertinet, & schismatum nomina tollerentur.* Et inferius subiungit: *Haec addidimus, ut ostenderemus, quod veteres, eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos. Sicut ergo Presbyteri, sicut, se ex Ecclesia consueverunt, et qui presbyter fuerit, esse subiectus: ita Episcopi novissimi, se magis consueverunt, quam Presbyteri Dominice veritate, Presbyteris esse majores, & in communis debere Ecclesiam regere.*

13 Haec & similia obijciunt non aliter respondet Michael Medina lib. 1. de sacrorum hominum continentia cap. 5. & Malonatus in tract. de Ordine cap. 8. quam succumbendo difficultati, & concedendo revera Hieronymum cum Aeriis sensisse, Episcopos non esse jure divino, sed ex consuetudine tantum & constitutione Ecclesiae, Presbyteris superiores: quamvis (inquit Medina) ob hujus S. Doctoris reverentiam, Ecclesia hunc errorem quem in Aeriis damnavit, in eo toleraverit, aut dissimulaverit.

Theol. Genes. Tom. V.

Verum haec responsio temeritate non caret, quia non 14 solum tanto Patri & Doctori, sed ipsi etiam Ecclesiae injuriosa est, cui acceptio personarum notam imitit: cum enim (ut ait Bellarminus) Hieronymus post Aeriis vixerit, cur, quaso, Ecclesia unam atque eandem sententiam in Aerio damnavit, & in Hieronymo toleravit? Nonne Aerio potius ignoscendum fuit, qui ante destinationem Ecclesiae peccasse videbatur, quam Hieronymo, qui damnatum jam haerem sequutus est? Adde quod idem videtur sentire Ambrosius in c. 4. epist. ad Ephef. Primum (inquit) Episcopi, Presbyteri appellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet. Ideo apud Aegyptum Presbyteri designant, si Episcopi viderent.

Respondent alii, initio nascantis Ecclesiae, omnes Presbyteros fuisse Episcopos, subindeque mirum non esse, quod Hieronymus & alii SS. Patres dixerint, eo tempore Episcopos non fuisse majores Presbyteris.

15 Sed haec solutio non valet, quia Hieronymus loco citato Presbyterorum dignitatem adversus insolentiam Diaconorum tueri conatur, eamque demonstrare nititur ex eo quod Sacerdotalis dignitas aequalis est Episcopali, cum Episcopi (inquit) magis consueverunt, quam dispositionis Dominica veritate, sint majores Presbyteris, & initio nascantis Ecclesiae, communi Presbyterorum consilio, Ecclesiae gubernarentur: Ergo non ea solum ratione censet, primos Presbyteros fuisse pares Episcopis, quod essent etiam ipsi veri Episcopi.

16 Tertio respondet Amicus, Hieronymum in ea quidem fuisse sententia, quod Episcopus jure digno non sit Presbytero superior, sed tantum Ecclesiae consuetudine & ordinatione; nullo tamen pacto sensisse cum Aerio, quia ille negabat, etiam Ecclesiae constitutione, Ordinem Episcopalem esse Presbyterali superioriorem.

17 Sed haec solum quoque solutio, nisi aliquid ei addatur, non satisfacit: Aerus enim non ignorabat, nec negabat, secundum Ecclesiae leges, Episcopum Presbytero esse majorem, sed jure divino pares esse affirmabat. His ergo solutionibus pretermittis,

18 Ad objectionem respondeo, duo in Episcopali nomine & dignitate distinguenda esse, nempe potestatem Ordinis, & potestatem jurisdictionis, qua regit & gubernat Ecclesiam sibi commissam; a qua, licet inferiori, nomen Episcopi desumptum fuit: nam *Episcopus* idem est atque *inspector* & *curator* rei cuiuspiam, ut ait Hieronymus ipse in cap. 1. Epistola ad Titum, Episcopus est nomen officii, hoc est curationis & gubernationis. Quando ergo verbis in objectione citatis, dixit Episcopos magis consueverunt & ordinatione Ecclesiae, quam dispositionis Dominica veritate, Presbyteris esse majores; non loquitur de Episcopatu, quantum ad potestatem Ordinis (in ea enim Episcopus esse jure divino Presbyteris superiores, manifeste agnoscit in cap. 1. Epistola ad Titum; ubi sic ait: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter? id est facere possit*) sed de potestate jurisdictionis seu regiminis Ecclesiae, quam Episcopi habent supra Presbyteros; haec enim praesentiam jurisdictionis non competere Episcopis jure divino, sed tantum Ecclesiastico, exiluminavit Hieronymus; idque ex parte verum est, Episcopi enim potestatem jurisdictionis non accipiunt immediate a Christo (sicut potestatem Ordinis & characteris) sed habent ab ipso Summo Pontifice, cujus est eorum Ecclesiae praesidere, & discesses tales assignare ac dividere, prout ad Ecclesiae bonum expedire judicaverit, itaque Hieronymi sententia toto calo distat ab errore Aerii; nam in primis S. Hieronymus aperte docet, Episcopum esse majorem Presbytero, quantum ad Ordinis potestatem, quod negabat Aerus, ut constat ex Epiphanius supra relato. Deinde, quantum ad potestatem jurisdictionis supra relato. Deinde, quantum ad potestatem jurisdictionis supra relato. Deinde, quantum ad potestatem jurisdictionis supra relato. Deinde, quantum ad potestatem jurisdictionis supra relato.

ARTICULUS II.

An Episcopatus sit Ordo distinctus a Sacerdotio, vel solum ejus excessus & complementum?

Ostenditur articulo precedenti contra Haereticos, 20 Episcopatum esse gradum quemdam & dignitatem in Ecclesiastica Hierarchie Sacerdotio sublimiorem; in quo conveniunt omnes Catholici; sed difficultas est & gravis controversia inter Doctores, an sit distinctus Ordo distinctus.

distinctus a Sacerdotio, subindeque distinctum a Sacerdotii imprimat characterem, vel solum sit extensio Sacerdotii, & excellentissimum quoddam eius complementum. Canoniz enim, prater Maiores Ordines, & quatuor Minores, duos adhuc admittunt, nempe Episcopatum, & Palmitatum seu primam tonsuram. Ex Theologis vero Durandus, Cajetanus, Petrus a Soto, Bellarminus, Valentinus, Martinus, & alii, asserunt Episcopatum esse Ordinem distinctum a Sacerdotio. Oppositum docent omnes fere antiqui Theologi, Magister sententiarum in 4. dist. 24. littera L. S. Thomas hic quest. 10. art. 5. Albertus Magnus, D. Rosaventura, Scotus, Richardus, Paludanus falso pro contraria sententia citatus, Dominicus Soto, & plures alii. Unde Azorius lib. 3. infinat. §. 2. relata sententia Hugonis, quod nullus nisi cœcus & thordnatus dubitet Episcopatum esse Ordinem distinctum, cum singulariter a Sacerdotio ordinationem requirat, subdit hæc verba: *Certe mirum cur sic contra Theologos linguam laxaverit? Cœcus ergo visus judicio erit S. Thomas, cœcus S. Rosaventura, cœcus Scotus, Richardus, Albertus, qui sententiam Episcopatum non esse Ordinem. His omnibus adde ex Patribus Societatis Reginaldum, Henriquez, Comitum, Amicum, & alios, asserentes Episcopatum non esse Ordinem a Sacerdotio distinctum. Quam sententiam probabiliter cenlet Suarez tomo 3. in 3. partem disputatione 11. sect. 3. s. solum ipse, eandem novissime antiplexus est Illusterrimus Dominus de Marinis, Avenionensis Archiepiscopus t. 2. in 3. part. quest. 40. supplem. art. 5. cap. 3. conclus. 2. ubi docet quod Ordo Episcopatus non differat a Sacerdotio, per hoc quod dum Sacerdos in Episcopum consecratur, imprimatur in anima illius novus character, sed per hoc quod præexistens extenditur & perficitur, subindeque censet Episcopatum non esse Ordinem distinctum a Sacerdotio, sed ipsius Sacerdotii extensionem & complementum. Demum pro hac sententia innumeris propemodum refert & citat Auctores Valentinus de Flavigni, Doctor & Socius Sorbonicus, in Opusculo ab ipso edito, ad defendendam Thesim Ludovici de Cleves, Baccalarij Sorbonici, qua asserat: Episcopatum, prout præfinitur a Presbyteratu, aut ab eo distinguitur, non habere rationem Sacramenti.*

S. I.

Hic sententia ut probabilior eligitur.

Dico igitur, Episcopatum non esse Ordinem distinctum a Sacerdotio, sed ipsius Sacerdotii extensionem, & excellentissimum eius complementum.

- 21. Probatur primo auctoritate Petri Damiani opus. 6. c. 15. hæc scribitis: *Ad instar septem donorum Spiritus Sancti, septem sunt Ordines Ecclesiasticæ dignitatis. Quod autem in omnibus gradibus adhuc & alii præferantur, ut sunt Patriarchatus, Archiepiscopatus, vel Episcopatus, non tam novi Ordines sunt, quam in eodem Sacerdotio ipsi videntur excellentissimi sublimari. Quo nihil clarius & expressius in favorem nostre conclusionis dici potest.*
- 22. Probatur secundo ex Trid. sess. 23. c. 1. & can. 2. ubi non nisi septem recensat Ordines, incipiendo a Sacerdotio, quæ a supremo, nulla mentione facta Episcopatus. At si consecratio Episcopalis esset Ordo distinctus a Sacerdotio, eique superior, non debuisset Concilium recensendo Ordines, istam præmittere, nec incipere a Sacerdotio, ut a supremo, sed ab Episcopatu. Ergo Concilium censet, consecrationem Episcopalem non esse Ordinem distinctum a Sacerdotio, sed dumtaxat ejus extensionem & complementum.
- 23. Nec refert quod c. 4. & can. 6. designat esse in Ecclesia Hierarchicum ordinem, divinis ordinatione institutum, ad quem præcipue pertinent Episcopi: nam hic per ordinem Hierarchicum Concilium non intelligit Sacramentum Ordinis, sed gradum dignitatis, ut constat ex his verbis capituli 4. tit. *Prædicto sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere.*
- 24. Non valet etiam, si cum aliquibus Recentioribus dicatur, ideo a Concilio locari Ordines non numerari Episcopatum, quia est causa ceterorum Ordinum. Nam est Episcopatus sit causa Ordinum, adhuc debuisset inter Ordines numerari, si sit Ordo diversus a Sacerdotio, distinctumque imprimat characterem: quia cum Ordines distinguantur inter se per diversas habitudines ad Eucharistiam; non solum debuissent numerari Ordines, qui vel ad illam disponunt, vel immediate efficiunt, sed etiam qui ei idoneos ministros præparant. Unde nulla prohibens ratio assignari potest, cur Concilium recensendo Ordines, Episcopatum omiserit, & a Sacerdotio ut a supremo inceperit, nisi quia existimavit, Episcopatum non esse Ordinem distinctum a Sacerdotio, sed ejus extensionem, & complementum.

Probatur tertio ratione D. Thom. Totum ordinem distinctio sumitur penes habitudinem quam dicunt ad Eucharistiam, ad quam ut ai finem ordinantur, & consistit in Sacerdotio, Diaconatu & Subdiaconatu, & quatuor Minoribus: Sed Episcopatus non aliam dicit habitudinem ad Eucharistiam, præter eam quam importat Sacerdotium, non enim potest esse magis consecratus Episcopus, quam simplex Sacerdos: Ergo Episcopatus non est Ordo distinctus a Sacerdotio.

Respondent Adversarii, negando Minorem: Episcopatus enim (inquiunt) dicit habitudinem aliquam indirectam ad Eucharistiam, quam non dicit Sacerdotium, siquidem præter potestatem consecrandi Eucharistiam, in qua convenit cum Sacerdotio, habet virtutem illam, transfundendi in alios, & ad consecrandum & ordinandum ministros Eucharistie; unde per habitudinem illam indirectam, in ratione specialis Ordinis, a Sacerdotio distincti, constituitur.

Verum ex hac solutione & doctrina manifeste sequitur, Episcopatum esse Ordinem inferiorem Sacerdotio, & ipso ignobiliorem; habitu enim indirecta ad Eucharistiam, seu potestas consecrandi illius ministros, minus perfecta est habitu directæ ad illam, five potestatis ipsam consecrandi, qua nihil datur præstantius & divinius in ordine supernaturali: Ergo si per habitudinem indirectam ad Eucharistiam, Episcopatus constituitur in ratione specialis Ordinis, distincti a Sacerdotio, manifestum est, ipsum esse Ordinem Sacerdotio inferiorem.

Probatur quarto ratione Paludani, quam sub hæc forma proponit P. Baronius in lib. Apologetico pro Ordine Prædicatorum lib. 2. sect. 1. §. 3. Si Episcopatus esset Ordo specie distinctus a Sacerdotio, vel illi esset par & æqualis, vel superior, vel minor. Parem esse repugnat, ex illa lege qua diversæ rerum essentia minus possunt esse æqualis perfectionis, quam diversi numeri pares, quorum tota ratio in æqualitate consistit. Nec superior esse potest character Episcopalis Sacerdotali, cum potestas in corpus Christi naturalis, propria Sacerdotio, prædict potestati in corpus myticum, quam Episcopatus addit inferiorem vero esse minime convenit, cum Episcopatus sit quasi apex Sacerdotii, & Episcopos suprema Sacerdotii gradum occupet: Ergo Episcopatus non est Ordo distinctus a Sacerdotio.

Probatur quinto ex inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim Episcopatus esset Ordo distinctus a Sacerdotio, & distinctum illi adderet characterem, possat valde suspici ante Sacerdotium, ejusque ordinatio esset valida, quamvis illicita, sicut quæ ante Diaconatum ordinaretur Sacerdos, verus esset Sacerdos, ut colligitur ex capite *Tus litteræ*, de Clerico per saltum ordinato. Ex quo ulterius sequeretur quod si ante Subdiaconum qui per saltum, non præmissis Ordine Diaconatus, esset ordinatus Sacerdos, possit omnia munia Diaconi valide exercere, eo quod superior Ordo virtute continet reliquos inferiores, ita Diaconus, qui non præmissis Sacerdotio consecratur Episcopus, ob eandem rationem, valide possit munia Sacerdotalia exercere, subindeque consecrare corpus Christi, & a peccatis absolvere, quamvis non esset Sacerdos: quod absurdum est.

Nec valet quod dicunt Adversarii, ut vim hujus argumenti infringant, quod licet Episcopatus sit superior, Sacerdotio, sicut Sacerdotium aliis Ordinibus, diversi tamen ratione; Sacerdotium enim eminenter continet inferiores Ordines, Episcopatus vero non est superior Sacerdotio, sed quod eminenter illud continet, sed quia præter potestatem Sacerdotii, quam hierosolice, formaliter, & essentialiter includit, addit etiam potestatem consecrandi Ordines, & Sacramentum Confirmationis, ex qua differentia (inquitur) oritur, quod licet si Sacerdotium non præmissis Diaconatu consecratur, valide collatum esset, Episcopatus tamen collatus ei qui non esset Sacerdos, foret irritus: Non valet, inquam, hæc responsio, si enim Episcopatus sit Ordo realiter distinctus a Sacerdotio, specie differat ab illo: Sed una species non includit formaliter alteram, licet eam possit continere virtualiter vel eminenter, ut patet inductione: Ergo si Episcopatus sit Ordo realiter distinctus a Sacerdotio, non potest formaliter illud continere, sed virtualiter tantum vel eminenter, sicut Sacerdotium eminenter continet inferiores Ordines, subindeque raris & validus erit Episcopatus collatus non præmissis Sacerdotio, sicut & ipsum Sacerdotium, non præmissis Ordine Diaconatus collatum, validum est.

Dices: Licet potestas absolvendi a peccatis distinguatur realiter a potestate consecrandi corpus Christi, si tamen non præmissa potestate consecrandi conferretur; rata non esset, nec valida, Ergo eo quod Episcopatus sit Ordo realiter distinctus a Sacerdotio, non recte inferatur, illum posse valide conferri, non præmissis Sacerdotio. Verum hæc instantia magis confirmat quam infirmat rationem nostram: ideo enim potestas absolvendi nulla est,

est, non præmissa potestas consecrandi, quia non est character, sed characteris extensio & complementum intrinsecum: Ergo si e contra potestas Episcopalis sit character distinctus realiter a character Sacerdotali, non vero ejus extensio & complementum, consecratio Episcopalis erit rata & valida, etiam non præmissis Sacerdotio.

Demum suaderi potest conclusio hoc discursu: Si verum est in naturalibus hoc axioma: *Non sunt multiplicanda entis absque urgenti necessitate*, a fortiori verum erit in supernaturalibus, cum gratia magis abhorreat a superfluo, quam natura, & ne dicamus Deum plures actiones supra naturam producere, quam sint necessaria ad effectum quem intendit: Sed Episcopus potest munia Episcopalia exercere, puta conferre Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, per characterem Sacerdotalem, ut habet adjunctum modum aliquem physicum & supernaturalem, quo completur, & ad munia illa extenditur, ut patet ex solutione objectionum; & constat exemplo characteris Sacerdotalis, qui se extendit ad corpus Christi myticum, & potestatem recipit absolvendi a peccatis, abique novi characteris additione, per hoc solum quod modum aliquem supernaturalem recipiat, alioquin tot essent admittendi characteres, quot sunt actiones supernaturales & hierarchice, quæ a Sacerdote vel Episcopo exercerent, & sic alius daretur character ad consecrandum corpus Christi, alius ad baptizandum, alius ad confirmandum, alius ad conferendum Sacramentum Extreme Unctionis, alius ad absolvendum a peccatis: quod nullus Theologorum dixit: Ergo, &c.

S. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primo: Consecratio Episcopi est Sacramentum; subindeque sub aliqua ex septem ejus speciebus continetur: Sed non potest ad aliam speciem Sacramenti pertinere, quam ad Ordinem: Ergo est Ordo distinctus a Sacerdotio. Major, in qua est difficultas, probatur primo ex SS. Patribus, qui dum loquuntur de consecratione Episcopi, ipsam appellant Sacramentum. Nam S. Leo Epist. 81. ordinationem Pauli & Barnabæ, qua fuerunt consecrati Episcopi Act. 13. *benedictionis Sacramentum* vocat. Et Gregorius lib. 4. in primi Regum cap. 5. unctioem ejus qui in culmine ponitur, Sacramentum esse asserit.

Secundo probatur eadem Major: Si Ordinatio Episcopalis non sit Sacramentum, non possimus ex Scripturis aperte probare, Ordinem esse Sacramentum; loca enim Scripturæ, ex quibus id probant Catholici (nimirum, t. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam qua est in te, &c. cum impositione manuum presbyterii*, & 2. ad Timoth. 1. *Admonere te ut resuscites gratiam Dei qua est in te per impositionem manuum tuarum*) intelliguntur de ordinatione Episcopali, quia agunt de ordinatione Timothei, qui fuit Episcopus a Paulo ordinatus, ut docent omnes Interpretes.

Tertio probatur ratione: Consecratio Episcopalis causat gratiam, ut constat duplici Apostoli testimonio jam citato: Ergo est verum Sacramentum.

Respondet negando Majorem, & ad primam ejus probationem dico, SS. Patres citatos vel loqui de ordinatione & unctioe, que non solum Episcopalis, sed etiam Sacerdotalis est; vel si loquantur de consecratione & unctioe solum Episcopali, eam vocant Sacramentum, quia est complementum Sacramenti, nempe Sacerdotii.

Ad secundam nego sequelam; sufficit enim quod Episcopatus sit complementum intrinsecum Sacramenti Ordinis, ut ex Scripturis in quibus est sermo de ipso, colligamus Ordinem esse verum Sacramentum; quandoquidem impossibile est quod Ordo compleatur in ratione Sacramenti per Episcopatum, nisi Ordo sit Sacramentum.

Ad tertiam respondet Soto negando Antecedens, existimat enim per consecrationem Episcopalem non conferri gratiam; quia gratia, inquit, in Sacramento Ordinis, non conferatur ad illa officia exercenda que spectant ad jurisdictionem & gubernationem corporis myticæ, sed ad illa tantum que pertinent ad potestatem Ordinis Sacramentalis, que scilicet ordinantur ad consecrationem corporis Christi: Consecratio vero Episcopalis ordinatur solum ad gubernationem corporis myticæ, non vero ad consecrationem Corporis Christi.

Verum hæc solutio & doctrina repugnat SS. Patribus asserentibus in consecratione Episcopali conferri gratiam: Anacletus enim Epist. 2. cap. 1. de unctioe Episcoporum sic loquitur: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cujus virtus invisibilis sancto Christiani est permixta. Quibus verbis significat, Episcopos sanctificari per unctioem*

Chrismaticam, qua consecrantur. Ambrosius de dignitate Sacerdotali cap. 5. *Si gratiam* (inquit) *non accepisti, quomodo Episcopus fieri potes? Et paulo inferius: Quis dicit Episcopatum gratiam, Deus, an homo? Respondes sine dubio Deus; sed tamen per hominem dat Deus.* Theodoretus etiam lib. 4. Ecclesiasticæ historię cap. 23. de Moysæ Anachoreta in Episcopum consecrando, hæc ait: *Ubi vidit, Lucium sibi manum imponere velle: Absit, inquit, ut tua manus me consecret: nam tua invocatione Spiritus Sancti gratia in meum descendit.* Demum S. Thomas 1. ad Timoth. 4. lect. 4. dicit impositionem manuum qua Timotheus ordinatus est Episcopus, significasse collationem gratiæ. Et 2. ad Timoth. 1. lect. 1. loquens etiam de Ordinatione Timothei, ait ipsi fuisse datam gratiam Spiritus Sancti in impositione manuum.

Confirmatur Tridentinum sess. 23. can. 4. sic habet: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac præinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum, &c. anathema sit: Atqui est usu Ecclesiæ, in ordinatione Episcoporum hæc eadem verba profertur: Ergo in illa consistit gratia. Et certe mirum esset quod in ordinatione Exorcistæ vel Oiliarum conferretur gratia, & non in consecratione Episcopi, siquidem eligitur Episcopus ad officium multo excellentius: Episcopum enim oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare, ut habetur in Pontificali. Ut ergo hæc debite & recte prælet, oportet ut in consecratione, & congrua potestate, & abundantia gratiæ thesauro dicitur. Unde*

Ad argumentum respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam: ut enim consecratio Episcopalis causet gratiam, non requiritur necessario quod sit Sacramentum, sed sufficit quod sit excellentissimum quoddam complementum Sacramenti, scilicet Sacerdotii, ut patet in caeremonia illa qua consecratur Sacerdoti jam ordinato potestas ad absolvendum a peccatis, per impositionem manuum Episcopi, & verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* licet enim tunc Sacerdoti nova gratia conferatur, tamen caeremonia illa non est Sacramentum distinctum a consecratione Sacerdotali, quæ fit in contactu calicis, in quo character Sacerdotalis imprimitur, sed tantum complementum, & extensio Sacerdotii, in ordine ad actum, corpus Christi myticum respicientem, nempe absolutionem a peccatis. Idem cum proportione de consecratione Episcopali dicendum est, ut magis constabit ex dicendis in solutione objectionis sequentis.

Objicitur ergo secundo: Consecratio Episcopalis conferret characterem distinctum ab eo qui imprimitur in collatione Sacerdotii: Ergo est Ordo distinctus a Sacerdotio, Consequentia patet, ubi enim sunt diversi characteres, non possunt non esse distincti Ordines, cum Ordo sit signum quod character seu spiritualis potestas conferatur. Antecedens vero probatur: In consecratione Episcopali nova datur potestas confirmandi, & Ordines consecrandi: Propter illam imprimitur novus character, cum nomine characteris nihil aliud intelligatur, quam spiritualis potestas exercendi alius aliquos supernaturalis & hierarchicos, quales sunt confirmare, & Ordines consecrare.

Respondeo negando Antecedens, consecratio enim Episcopalis non confert novum characterem, sed dumtaxat characterem Sacerdotalem complet & extendit: causando in eo novum modum realem & physicum quem antea non habebat, ratione cujus extenditur ad ministrandum & confirmandum duo alia Sacramenta, que non potest simplex Sacerdos, sicut ex vi prædicte sui ordinationis, ministrare vel consecrare: est autem modus ille indelebilis, sicut ipsi character. Quod potest explicari exemplo supra adducto potestatis physice ad absolvendum a peccatis, quam recipit Sacerdos in sua ordinatione, hæc enim non habet rationem characteris, sed modi realis intrinseci & physici, characterem Sacerdotalem, in contactu calicis antea impressum, extendentis ad corpus Christi myticum, five ad ipsius membra instrumentaliter physice mandanda a peccatis. Quare Episcopatus nihil aliud est præter Sacerdotium perfectum, & sicut puer & vir perfectus in eo differunt, quod puer in ratione hominis sit imperfectus, nec vim habeat gignendi sibi simile, vir autem in ratione hominis sit perfectus; & alios possit generare; ita etiam simplex Sacerdos suo modo est imperfectus, nec potest alios Sacerdotes spiritualiter gignere vel consecrare; Episcopus autem potest.

ARTICULUS III.

Utrum necessarius requiratur tres Episcopi ad unius consecrationem, adeo ut Summus Pontifex in eo dispensare non possit?

40 Dico primo: Omnino certum est, saltem ex constitutione Ecclesie, requiri ad minus tres Episcopos, ut unus consecratur. Patet tum ex praxi Ecclesie, tum ex Concilio Carthaginensi 4. cap. 2. ubi sic dicitur: Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & tenant Evangeliorum codicem super caput, & cetericem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. In hunc sensum Chrysothomus, Oecumenius, Theodoretus, Theophylactus, & alii SS. Patres explicant verba illa Apostoli 1. ad Timoth. 4. cum impositione manuum Presbyterii, idest ceteris Seniorum, seu Episcoporum, qui manus supra consecrandum imponunt.

41 Confirmatur ex facto Apostolorum, nam, ut refert Anacletus Epist. 2. Jacobus primus Hierosolymorum Episcopus, ordinatus fuit a Petro, altero Jacobo, & Joanne, ejus ordinationi assistentibus & cooperantibus, quo facto formam (inquit Pontifex) dederunt successfulibus suis, ut non minus quam a tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum prebentibus, ullatenus Episcopus ordinatur. Unde Damasus Papa Epist. 4. ut probet illos Chorepiscopos, qui ab uno tantum Episcopo consecrati erant, non posse ullum munus Episcopii valide obire, subdit: Quod enim Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopi, omnibus patet. Item Joannes III. in Epistola ad Episcopos Germanie, & Gallie: Omnia quoque, inquit, magna Concilia affirmant, eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis, auctoritate etiam Metropolitanorum, fuerit factus. Et Concilium Regiense cap. 10. ait, Canones debent irritam esse ordinationem Episcoporum, quam pauciores quam tres Episcopi faciunt.

42 Dices: Canone 1. Apostolorum dicitur, Episcopum debere a duobus vel tribus ordinari: Ergo tres non sunt necessarii.

Respondet, hoc ita intelligendum esse, quod Episcopus debeat ordinari a duobus vel tribus, preter ipsum Metropolitanum, qui presupponitur necessario debere adesse, atque ita Episcopum a tribus ad minus ordinari debere.

Dico secundo: Probabilis est, non posse ex dispensatione Summi Pontificis, unicum Episcopum alium consecrare. Est contra Valquez, Conink, Amicum, & alios Recentiores.

43 Probatur: Non potest Summus Pontifex dispensare in his que sunt de jure divino, sive ex Christi institutione: Sed ex Christi institutione habemus, quod consecratio Episcopi fieri debeat non minus quam a tribus Episcopis: Ergo in hoc Summus Pontifex dispensare nequit. Major constat, Minor vero probatur primo ex Epistola Aniceti Papae ad Episcopos Gallie cap. 1. ubi postquam retulit verba Anacleti dicentis in Epist. 2. decretali Hierosolymorum primum Episcopum B. Jacobum, qui iustus dicebatur, a Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis fuisse ordinatum, ista subiungit: Si autem non minus quam a tribus Apostolis, tantus fuit ordinatus Episcopus, patet profecto eos formam, INSTITUENTE DOMINO, tradidisse, non minus quam a tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere. Ubi expresse dicitur Apostolos hanc formam ordinandi

Episcopum, non minus quam per tres alios, nobis tradidisse ex institutione Domini sive Christi.

Probatur secundo eadem Minor, ratione destruentis precipuum fundamentum doctrine Adversariorum: Si tres Episcopi ex statuto solum Ecclesie, non vero etiam ex Christi institutione, requirerentur ad consecrationem alterius, maxime, quia ut ipsi contendunt, preter unum, alii duo, solum ad testimonium ordinati requiruntur tanquam assistentes, ne videlicet tyrannica unius Episcopi auctoritas, aliquid contra fidem Ecclesie tenet: Sed falsum est quod ex tribus Episcopis concurrentibus ad consecrationem quarti, duo ut testes solum, & non etiam ut consecrantes concurrant; alias enim non deberent simul cum ordinante ea facere in quibus, ex Patrum sententia, consecratio Episcopi essentialiter consistit; nimis manus imponere capiti ordinandi & dicere: Accipite Spiritum Sanctum &c. sicut faciunt, sed tantum sua presentia huic ordinationi adesse: Ergo &c.

Contra istam conclusionem obijcit primo liber Constitutionum D. Clementis cap. 27. alias 33. ubi dicitur, quod si necessitas urgeret (Episcopum) ab uno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam, plures adesse non possint, asseratur decretum commissis plurium Episcoporum: Ergo censet in casu necessitatis unicum Episcopum alium posse consecrare.

Verum hoc non urget, quia constat libros constitutionum Clementis Romani variis in locis fuisse corruptos, locum vero citatum fuisse ex corruptis, colligitur primo ex eo quod idem Clemens ante verba relata refert hac verba Simonis Apostoli: Ego Simon Cananus confitens a quatuor Episcopis debeat ordinari Episcopus, scilicet a duobus, aut tribus. Si enim hac constitutio Apostolica vere esset, falsum esset: ex constitutione Ecclesie & Apostolorum, requiri ad minus tres Episcopos, ut unus consecratur; duo enim fuissent, etiam de lege ordinaria, quod non admittit Adversarii, & falsum esse constat ex dictis in prima conclusione. Secundo ex eo quod verba illa Clementis, Asseratur decretum commissis plurium Episcoporum, supponant, non tantum Summum Pontificem, sed alios etiam inferiores Episcopos posse facultatem concedere quod ab uno solum Episcopo consecratur: quod ipsi Adversarii non admittunt, facultatem hanc solum Summo Pontifici, cui totius Ecclesie regimen commisit esse, concedentes.

Obijcit secundo: Gregorius Magnus concessit Augustino, Anglorum Episcopo, ut ipse solus Episcopum consecraret, donec essent plures qui simul possent alios ordinare, ita enim legitur inter ejus decreta, in responsionibus ad interrogationes Augustini c. 9. que sunt in tomo 2. Conciliorum: Ergo ex dispensatione Summi Pontificis, unicum Episcopum alium consecrare potest.

Respondet, quod licet hoc factum D. Gregorii ita habebat tom. 2. Conciliorum Sarii, locum tamen esse mendosum, aperte colligitur, tum ex contextu totius capituli, in quo multa sunt sine sensu; tum ex responsione ipsius D. Gregorii ad eundem Augustinum Anglorum Episcopum, que habetur in fine libri duodecim Epistoliarum Registri sic enim legitur: Et quidem etiam in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc tu solus Episcopus inveniris, ordinare Episcopum aliter nisi cum Episcopis potes; nam quando de Gallia Episcopi veniunt, illi in ordinatione Episcopi testes tibi assistant. Quae verba sententiam nostram probant & valide confirmant. Si enim posset Summus Pontifex dispensare in jure requirente tres Episcopos ad consecrationem Episcopi, omnino credibile est, quod D. Gregorius in tanta necessitate dispensasset.

TRACTATUS OCTAVUS DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Ad Questionem 41. Supplementi, & alias sequentes.

P R Æ F A T I O.



ISI & Theologi plurimi soleant de Matrimonii Sacramento tractatum praetermittere, quod ad Jurisprudentiam & Canonistas pertinere magis quam ad Theologos videatur: actamen rem gratam Lectoribus me facturum existimavi, si ceteris Theologis etiam hunc adjungerem, ut Theologia nostra velut integro corpori pars nulla desset, & difficultates, que plurimam in hoc Tractatu & graves occurrunt, de quibus jus est Theologi, ut pronuntiet, & suam sententiam proferat, eodem ordine, eadem methodo, sicut D. Thomas principia explicatas, studiosè doctrinam Thomisticam reperirent. Nec vero adeo facilem hanc tractationem quis existimet, ut non opus sit Theologici & Scholastici laboris & acuminis diligentiam, & solertiam adhibere; cum Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiiis, quem merito inter Ecclesie Patres & Doctores, acuminis, & ut ingenii, aquilam dixerit, adeo difficilem existimaverit, ut ita

de se dixerit aliquando: Questionem de conjugio obscurissimam & implicatissimam esse non scio, nec audeo profiteri, omnes sensus ejus, vel in hoc opere, vel in alio, me adhuc explicasse, vel jam posse, si urgeat, explicare. Sed obscuritas & difficultas non exigua accidit argumenti dignitas, que sane exigui, ut inter sacras Theologiae tractationes hac de Matrimonio recensentur: cum hic Sacramentum plures artes habeat, quibus alii Ecclesie Sacramentum praestantius esse, ea superat, & ab Apostolo Sacramentum magnum dici patuit in Christo & Ecclesia. Nemo nescit plurima esse, & commendatione dignissima, que conjugium habet, ut natura bonum, ut individua duorum societas, ut civilis contractus, & totius humani generis fons, que postissimum Jurisconsulti spectant, quibus ad eam & primi federis, unde cetera inter homines factura originem ducunt, necessitatem, & honestatem attollunt. Sapienter Julianus Imperator Novella 22. dixit: Matrimonium sic esse honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam introducere, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum. Et Justinus in minor Novella 2. conjugii familias solem, civitates frequentiam, & Republicas salutem debere dixit: Nihil, inquit, in rebus mortalium perinde venerandum est atque Matrimonium, quippe ex quo liberi, omnique decentis foliolis rite exsultat, quo regiones, quo civitates frequentes reddat, inde denique optima Reipublicae coagmentatio fiat. Demum Plato lib. de Legibus. Oportet, inquit, parentes gignere, & educare liberos, qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes, juxta ipsius legem. Neque enim dignitatem conjugii SS. Patres praeterunt. Ambrosius sacunditatem parvorum, divinum munus esse dixit, quod debent parentes gratis agere, quia generaverunt; filii, quia geniti sunt, fidei & religionis Sacramentorum particeps futuri; patres, quia conjugii pramissis in suscipere prole honorantur. Unde (inquit lib. 1. in Lucanum) aequum est, ut in Dei laudem vertet terra, quia colitur; mundus, quia cognoscitur; Ecclesia quia devote numero plebis augetur. Quin etiam si quis a D. Cyrillo Alexandrino lib. 2. in Joan. cap. 2. postulet: cur existimaverit, Christum virginitatis prolem, Virginem genitum, Cane nuptis interesse voluisse; hanc potissimum rationem reddet: Ut nativitas nostra principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Exigebat enim ipsa carnis propagatione accepta infirmitas, eum qui totam naturam hominis in meliorem ac feliciterum statum reparabat, non solum natis jam hominibus benedicere, Verum etiam nascituris gratiam preparare, & aditum illorum ad hanc mortalem vitam, & auctoritate miraculi, & suae majestatis presentia consecrare.

Hac sane praestantissima sunt: hac praesura conjugiorum commendatio, si vel ea solum qua intra naturam limites habent, in mortalitatis subsidium, Reum publicorum salutem, civitatum frequentiam, & ad faciendam hominum federa, suis laudibus celebrantur. Sed quam multis partibus hac infra eam commendationem facient, qua Apostolus Matrimonium dixit magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia? Hac una est singularis, & ingenii laudum, & commendationis materia, qua cetera Ecclesie Sacramenta, Matrimonii Sacramentum superat, & longe antecedit. Non negaverim equidem Sacramentum Matrimonii, ut signum praedium, & efficacem causam gratiae, infimum inter Sacramenta gradum tenere, & parum ad spirituales, & caelestis vitae officia, ad qua Sacramenta ordinantur, asurgere. Verum nemo etiam negat, ut signum praedium, & Sacramentum rerum symbolum, cetera Sacramenta superare, ipsaque sanctius esse, triplici significatione, qua praecipua Religio & fidei dei mysteria representat. In primis enim fidelium conjugium, quod (ut inquit Tertullianus Oses 1.) Ecclesie conciliat, confirmat oblatio (scilicet Missa Sacrificium) & obsequant Angeli, sacrum signum est castissimi federis, & unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem desponsare Scriptura dicit; cui doti nomine virtutes, & caelestia charismata, atque ipsum donorum auctorem Spiritum Sanctum infundit. Sed praeterea Sacramentum est in Christo & Ecclesia, & symbolum federis, quo Ecclesiam Christus suo Sanguine mundatam, & desertis maculis, gloriosam sibi sponsam conjunxit. At demum Matrimonium, quo utriusque conjugis fit una caro, eximitam illam & singularem unionem significat, qua Verbum naturam humanam sibi vinculo nunquam solvendo copulavit, quo bonorum ac malorum fit hinc inde communio, & ex utroque Deo & homine una Persona conjungit. Quis negat significationem hujus triplicis unionis, & federis, cujus Matrimonium symbolum est, cetera Religiois nostra Sacramenta superare, & mysteriorum, que maxima sunt, & fides docet, imaginem exhibere? Verum id maxime congruum erat, atque ipsa conjugii conditio, qua suapte natura & usu hominem deprimit, suo quodammodo jure possulat, ut eam depressionem Sacramenti magnitudo compensaret, & erigeretur animus caelestium rerum contemplatione, quarum conjugium sacrum signum institutum est. Atque hanc forsitan divini consilii rationem fuisse, nec temere suspicari licet, cum Deus mulierem, postea comitio copulavit, quo bonorum ac malorum fit hinc inde communio, in Adamum solum immisit, ipsi in extasim rapuit, & ut Augustinus dicit, Angelica curia participat effecti. Cur enim Adamus, cum futura ipsa sponsa paratur, ad caelestem curiam evehitur, caelestem parit, & ordinibus interest, & nisi clara Dei visione fruatur, quod quidam arbitrantur, divino lumine, & prophetia pari, perfunditur, fideique Sacramenta edocetur? Hoc scilicet primo connubio debebat, ne primus homo mysteria nesciret quorum conjugium jamjam incedendum, symbolum futurum erat, & agnosceret illud unionem triplicem, triplexque fedus representare, Verbi cum natura humana, Christi cum Ecclesia, Dei cum anima, quam sibi hic per fidem desponsat, in calis clara visione aeternum copulat. Hac praecipua sunt (AMICE LECTOR) que in Tractatum de Sacramento Matrimonii, quodam veluti praevisione visum est praetermittere, antequam ad ea, que majorem operam postulant, properarem.